

S O M N I V M S C I P I O N I S

ciuitatis salus. Ac ne multa, dictator rempu. constituas oportet, si impias pro-
 pinquorū manus effugeris. Hic cum exclamasset Lælius, ingemuissentq; cæ-
 teri uehementius, leniter arridens Scipio, quæso, inquit, ne me à somno excite-
 tis, & pax sit rebus. Audite cætera. Sed quo sis Africane alacrior ad tutādam
 rempu. sic habeto: Omībus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint,
 certum esse in coelo & definitum locum, ubi beati sempiterno æuo fruant. Ni-
 hil est enim illi principi deo, qui omnem mundum regit (quod quidem in ter-
 ris fiat) acceptius, quam cōcilia coetusq; hominum iure sociati, quæ ciuitates
 appellantur. Harum rectores & conseruatores hinc profecti, huc reuertūtur.
 Hic ego, & si eram perterritus, non tam mortis metu, quām insidiarum à me-
 is, quæsiui tamē, uiuerēt ne ipse, & pater Paulus, & alijs quos nos extinctos ar-
 bitrabamur. Imò uero, inquit, ij uiuunt, qui è corporz uinculis tanquam è car-
 cere euolauerunt. Vestra uero quæ dicitur uita, mors est. Quin tu aspicias ad
 te ueniētem patrem Paulum. Quem ut uidi, e quidem uim lachrymarum pro-
 fudi: ille autem me complexus atque osculans, flere prohibebat. Atq; ego ut
 primum fletu represso, loqui posse cœpi, quæso, inquam, pater sanctissime at-
 que optime, quoniam hæc est uita, ut Africanum audio dicere, quid moror in
 terris: quin huc ad uos uenire propero? Nō est ita, inquit ille. Nisi enim is, cu-
 ius hoc templum est omne quod conspicis, istis te corporis custodijs liberaue-
 rit, huc tibi aditus patere nō potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui
 tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium uides, quæ terra dicit:
 hisq; animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera & stellas uoca-
 tis, quæ rotundæ & globosæ diuinis animatæ mentibus, circulos suos orbés
 q; conficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi Publi, & pijs omnibus retinen-
 dus animus est in custodia corporis, nec iniussu eius, à quo ille est nobis da-
 tus, ex hominum uita migrādum est, ne munus humanum assignatum à deo,
 defugisse uideamini. Sed sic Scipio, ut auus hic tuus, ut ego qui te genui, iusti-
 tiam cole & pietatē: quæ cum magna in parentibus & propinquis, tum in pa-
 tria maxima est. Ea uita, uia est in cœlum, & in hunc cœtum eorū, qui iam ui-
 xerūt, & corpore laxati illum incolunt locum, quem uides, (erat autem is splē-
 didissimo candore inter flamas elucens circulus) quem uos (ut à Grajs acce-
 pistis) orbem lacteum nuncupatis. Ex quo omnia mihi contemplanti, præcla-
 ra cætera & mirabilia uidebantur. Erant autem hæ stellæ, quas nunquam ex
 hoc loco uidimus: & hæ magnitudines omnium, quas esse nunquam suspiciati
 sumus. Ex quibus erat ea minima, quæ ultima à ccelo, citima terris luce luce-
 bat aliena. Stellarum autem globi, terræ magnitudinem facile uincebant. Iam
 uero ipsa terra ita mihi parua uisa est, ut me imperij nostri, quo quasi punctū
 eius attingimus, pœniteret. Quam cum magis intuerer, quæso (inquit Africa-
 nus) quo usq; humi defixa erit tua mens? Nonne aspicias quæ in templo uene-
 ris? Nouem tibi orbibus uel potius globis cōnexa sunt omnia, quorum unus
 est cœlestis extimus, qui reliquos complectitur omnis, summus ipse deus, ar-
 cens & continens cæteros, in quo sunt infixi illi qui uoluuntur stellarum cur-
 sus sempiterni. Cui subiecti septem, qui uersantur retro contrario motu atque
 cœlum. E quibus unum globum possidet illa, quam in terris Saturniā nomi-
 nant.